FIDES
ECCLESIÆ ANGLICANÆ
VINDICATA
AB
INCERTITUDINE.
SIVE
CONCIO
Coram *Academia Oxonienſi* Habita ineunte
Termino Octob. 9. 1688.

A Jo.^sph CUDWORTH, S. Th. Bacc. &
Coll. Trin. Socio.

Διὰ δυσφημίας, καὶ εὐφημίας. 2 *Cor.* 6. 8.



OXONII,
Typis SHELDONIANIS, Impenſis HEN. CLEMENTS
Bibliopol. OXON. AN. DOM. M.DC.LXXXVIII.

Imprimatur.

GILB. IRONSIDE

Vice-Can. OXON.

Feb. 19. 1688.

CHRISTIANO LECTORI

SALUTEM.

BIennium eſt, & quod excurrit, ex quo rumor increbuit, quàm in Religione incertus Animi, & fluctuans eſſem. Ergo parte dimidia concionis [a] Academicæ, 1° Errores Eccleſiæ Romanæ *generatim carpſi*; *deinde* Bona *opera, à meritis ita diſtantia, ut* peccaminoſa *duxerim. Imò* Precum, & Sacramentorum, opus operatum (*à* Pontificiis *decantatum veluti de* condigno meritorium) puritati cordis, & Vitæ Sanctitate renovatæ *poſthabui.* Dehinc *ad quoddam tempus malevola elanguit fabula. Quin iterum novas illâ vires à delatorum calumniis recuperante, & concionandi mea vice* [b] *Academica redeunte*, Eceleſiam Anglicanam *in concione propugnavi, ut* Partem Catholicæ, *me judice*, Puriſſimam, & Epiſcopali Regimine integerrimam. [c] *Pauci nihilominus dicebant me viſum eſſe Reformatos in Gallia ut Epiſcopis carentes Silentio ſugillare.* De *illis ſilebam, fateor*; & *quem unquam* Apoſtolo *minorem urgebat illud agmen curarum,* ἡ μέριμνα πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν, Solicitudo de ſingulis Eccleſiis? 2 *Cor.* 11. 28. *Vides, Chriſtiane Lector, judicium meum de Religione huc uſque integrum: Et quantum mutatus ab illo ſim, teſtetur hæc concio, quæ nunquam in Lucem prodiiſſet,* (*adeo tenuitatis conſcius eſt Author*) *niſi ut Orthodoxæ fidei, ſimul & Authoris vindex, utriuſque,* Deo favente, *immutabilis. Ergo, cur Tu, inquies, qui, ut Academicus, ut Clericus, juramentis, quaſi tot Sacris Catenis,* Eccleſiæ *devinctus ſis, iterum vota tua* hâc in Concione *repeteres? Ut de me totum confitear*; Nimiæ *erga* Dei Vicem-gerentem obedientiæ *reus fuerim*, & ni-

ii *erga unicam* Ecclesiæ * *Regulam* Obsequii. *Error* hic *non* x voluntate *ortum habuit, sed ex* Intellectu *de officio ad empus dubitante, & dein infæliciter erroneo: Et errorem atenti Christiano* Christianus *non ignoscens, quàm* Christo *lissimilis? Porrò, nonnulli me defectionis clam insimulârunt, uòd Amico suspicione defectionis laboranti non penitus Anicitiam renunciarem. At illud agere non adeo* humanum *fusse, semper mihi persuasum est. Quis non speraret potius erroris cujuscunque illum posse Convinci? Hoc tentare cujusque fficium est erga Erroneos;† Ingenioſi Concionatoris Verbis, est,* Animas deperire. Ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ. 1 *Cor.* 13. 4. *At Zelus n nonnullis moræ impatiens est, & longanimitatem indignatur, ob* spretam, *inquiunt*, fidem, & dehonestatam Religionem; sub specioſa hac Umbella *quotusquisque est*, qui palpat & fovet ebullientis animi amaritudinem? Itane vero Zelotes, itane in Causa Dei, Deus Ipse, Christus olim aliquando excanduit? *Ut verbo loquar, quod centies loquutus fuerim: singulos & intra Academiam & extra provoco, ad reddendam* rationem *unicam*, solitariam, *cur famam quispiam mihi detraxerit ab* Ecclesia *veluti deficienti*, cujus *sum heu nimis indignus* Presbyter? *Non interim pro* Rationibus *fabulæ, suspiciones, & conjecturæ venditentur; nec harum numero ponderis & argumenti defectus compensetur.* Humanitatem & Religionem *veluti affines & Comites semper colui: Nec unquam fui Amici, nec* Ecclesiæ Anglicanæ, *nec, ut spero,* Dei *desertor. Tuam ergo, Candide Lector*, justitiam, & Christianam Charitatem eflagito

Tibi in *Christo* addictè devotus

J. Cudworth.

* Nec quicquam ab ipso h.e. Ministro publicabitur, nisi quod regulis hujus libri continetur, aut *à Regiâ Majestate imperatum*, aut à Loci Ordinario præscriptum fuerit. Vid. Ord. Cænæ &c. Liturg. Eccl. Angl.

† Mri *Edw. Young, Wintonienſis.*

S. Matt. 6. 23.

— εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον; *Ergo, ſi lumen quod eſt in Te tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ?*

UTRUM Lumen in hoc commate, ſit, ut interprete Grotio, judicium de Religione, an, ut alii interpretantur, ipſa Religio, non operæ pretium eſt litem movere. Ipſa enim Religio, ſi corrupta & erronea, tenebræ fiunt; & judicium de Religione falſum, & hæreticum, quia ducit in errores, veritati tenebras obducit.

Doctrina Chriſtianæ Fidei, utcunque *in ſe* pura, ſicut ipſa Lux, *in nobis* aliquando fiunt tenebræ.

Conſidera ergo, & caveto, Salvator inquit, ne Lux, quæ eſt *in Te*, ſint tenebræ. *S. Luc.* 11. 35. Hoc eſt, ne judicium tuum ſit corruptum, & conſequenter erroneum; ne Conſcientia tua ſit erronea, & ſpirituale Religionis Lumen vertatur in tenebras.

Inprimis monet, & hortatur Chriſtus in hoc capite, quis verus hujus vitæ finis, quæ vera fælicitas, & viam monſtrat ad fælicitatem, Ducemque in via conſtituit Religionem: ſi vero Dux ipſa, Religio, erraret, quantus eſſet error, periculo quam plenus?

Si Religio, Lux noſtra, eſſent tenebræ, vel nos ob malum & corruptum judicium cæci, quâ data porta præcipites in errores ducimur & perniciem; ſi ipſe cibus Animæ tranſeat in venenum, & me-

dicamenta inficiant, unde nutritio oriatur, quis dabit Antidotum? Quiſquis religioſe peccat in *praxi*, vel errat in *Fide*, ille ad peccandum quaſi damnatur; ille peccatis & erroribus ſecurus, iis fruatur: quippe qui cum authoritate, ut ille autumat, & Conſcientia dictante & jubente peccat. Hinc & ipſa peccata exuant ſuam naturam, & in virtutes, in Merita tranſeant. Conſidera ergo, Salvator inquit, ne Lumen quod eſt in Te, ſint tenebræ. Hoc eſt, ne Religionis tuæ principia, quibus innixus tentationibus, quibuſcunque obſeſſus fueris, reſiſtere, immo & ſuperare valeas, ne ſint, inquam, illa falſa, fallacia, vel quaſi nulla principia; ſed caveto, ut ſint Sacris in Scripturis fixa, & in Te firmiſſimè ſtabilita. Nudus exponitur tentationibus, qui nullis intus armatur Religionis principiis; Qui verò falſis nititur principiis, ſuis quaſi viribus ruit, & ipſâ Religione perit; Et Animam ſic errantem quid illam revocare valeat, & in integram reſtituere? Dum intus lateat, regnetque inimicus, nulla Pax, ſed proditio potius expectanda eſt. Manente nimirum erroneo Religionis unico principio in Fide, vel Praxi, quid poſſit obſtare, quin in æternum Cultor erraret? Ipſa enim Religio falſis nixa principiis jubet errare, & errata, Orthodoxas tanquam veritates, approbat. *Ergo*, ſi *Lumen quod eſt in Te tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ*?

Ad abſolvendam provinciam ex hiſce verbis ortam oſtendere conabor 1°, Quòd Lumen Religionis in *Fide* aliquando tenebræ fiunt, hoc eſt, tenebris ſeu erroribus obruitur. Et quantæ ſunt tenebræ, cum Lumen vertatur in tenebras? quantus error,

cum

cum *Fides* ipſa ſit error? 2°. Quod Lumen Religionis in praxi, in plurimis qui religionem profitentur, ſunt tenebræ, quatenus fictum extat & apparens ſolùm Lumen religionis, non Res ipſa. Religio enim ſine Charitate, eſt Religio ſine Deo; nam *Deus eſt Charitas.* 1 Jo. 4. 16. Ergo ſi Religio ipſa, vel judicium tuum de illa, in Fide, vel praxi, te facit errare, quantus eſt error?

1°. Lumen Religionis in *Fide* aliquando ſunt tenebræ; hoc eſt, *fides ipſa* erroris nebula obruitur: Et quantus eſt error, ſi *fides Tua* ſit Error? Profectò periculoſiſſimus, utrum error ſpectetur, 1°, in *Actu* fidei. 2°, in *Objecto* fidei. Vel 3° in *Motivo* fidei.

1°. In *Actu* fidei, fides non erit erronea, ſi Aſſenſus in *Actu* credendi oriatur ex authoritate aſſenſu digna, ex *Dei Solius* Teſtimonio, qui nec fallere, nec falli poſſit. Hæc Sola [a] *fides* eſt *religioſa*, Hæc ſola *Divina*, & *infallibiliter Vera*. *Actus* hujus Fidei *certitudine* ſcientiæ, immo, ſi dari poſſit, majori gaudet. *Dei* enim nititur Authoritate, quæ & ſenſu, & ratione, ſæpe fallaci, certior eſt. Lumen hoc Fidei *in ſe* omni fuco caret, & purum eſt: at *in te* ſint Tenebræ, ſi *tibi* pro Divino Teſtimonio obtrudatur hominis mentientis dictum; Vel, ſi aſſenſus tuus ob Deum Teſtem ſit in praxi ſterilis & infœcundus. Sic etenim *Fides*, ſive *Actus* Fidei, *in ſe* licet Lumen, in *homine* tamen *hæretico*, vel *immorigero*, ſunt tenebræ, cujus & tenebrarum princeps, *Diabolus* eſt capax, qui *credit*, inquit Apoſtolus, & *contremiſcit*.[b] Sic *Actus* Fidei, quo aſſentimur Chriſto inſtituenti

[a] Fides eſt habitus quo aſſentimur dictis *ſcripturæ* propter *authoritatem Dei revelaptis*. Durand. l. 3. d. 24.

[b] S. Jac. 2. 19.

Sacram Cœnam ſub utraque ſpecie, eſt, [b] Lumen permeans & illuminans mentem; at *in Te*, qui tranſiviſti per *Concilium Conſtantienſe*, & [c] *non obſtante Chriſti inſtitutione* unicam ſpeciem credidiſti ſufficientem fore, *in Te*, inquam, contraxit tenebras, erroris nebulam; & quantæ ſint tenebræ, quas inde contraxeris? Quis illas diſſipare poſſit? Si enim credas *Tu Spiritum Sanctum in Concilio* contradixiſſe *Salvatori noſtro* in [d] *Cœna inſtituenti*, tum certe vel tenebris obrutus es, qui *mandatum Chriſti* decreto hominum poſtpoſueris; vel, quod magis abſurdum, qui credas *Spiritum Sanctum in Chriſto* [e] *inſtituente eidem Spiritui in Concilio* contradixiſſe;

b S. Ambroſ. in 1. Cor. 11. indignum dicit eſſe Dno aliter myſterium celebrare quam ab eo traditum eſt; Non enim poteſt devotus eſſe, qui aliter præſumit quam datum eſt ab Authore.

c Non obſtante quod *Chriſtus* in *utraque ſpecie* illud inſtituerit, & Apoſtolis adminiſtraverit. Concil. Conſtant. Seſſ. 13. Licet in *Primitiva* Eccleſia hujuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie, tamen ii, qui aſſerunt Sacramentum ſub unica ſpecie recipere eſſe Sacrilegum &c. tanquam hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi &c.

d Praxis recipiendi Sacramentum ſub utraque ſpecie duravit ſupra 1000 poſt Chriſtum annos. Haimo ſup. 1 Cor. 10. p. 109. qui vixit circa ann. 850. dicit totum populum calicem accepiſſe. Nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne jure Communicatur. Paſchas Radbert. de corp. & ſanguine Domini. cap. 19. Græci *ſuis Laicis* ſemper diſtribuunt utramque ſpeciem panis & Vini. Petrus de Occhagavia de Euch. q. 10. Ergo ſub unica ſpecie diſtribuere *nunquam* erat conſuetudo univerſalis. Unde ergo inſolenter invehatur Gerſon de communione ſub utraque ſpecie p. 526. ſumptio talis eſt temeraria, preſumptuoſa, ſcandaloſa, ſeditioſa &c. & æternæ damnationis inductiva, p. 529. adverſus hæreſin novam de neceſſaria communicatione Laicorum ſub utraque ſpecie. p. 528. Rex Rom. acciperet poteſtatem à Sacro Concilio (Conſtantienſi) *factum illud* proſequendi, *ſicut alias hæreſes* in Bohemia, cum potentia brachii ſæcularis. Negare non poſſumus etiam in Eccleſia Latina fuiſſe uſum utriuſque ſpeciei, & uſque ad tempora Sancti Thomæ duraſſe. Vaſq. diſp. 216. c. 3. n. 38. Aut integra ſacramenta ſuſcipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdemque myſterii ſine *grandi Sacrilegio* non poteſt provenire. Gelaſ. P. apud Gratian. de Conſecr. diſt. 2. cap. Comperimus.

e *Inſtitutiones* ſunt *præceptiones*, quibus inſtituuntur, & docentur homines &c. Accurſius præf. ſuper inſtit *S.* Matt. 26. 27. *S.* Jo. 6. 53. 1 Cor. 11. 23. 1 Cor. 10. 16. 1 Cor. 10. 21. ſæculo Juſt. Martyris ſacramentum diſtributum erat ſub utraque ſpecie. Εκάστω τῶν παρόντων, & addit inſuper, -ὕτως παρέδωκαν ἐντεταλθαι ἀντοῖς τὸν Ἰησοῦν.

Manen-

Manentibus his tenebris in unico actu religioſæ fidei, quantæ ſunt tenebræ?

2°. Si *objectum* aliquod *Fidei* quod tibi imponitur ut ad ſalutem creditu neceſſarium ſit error, quantus eſt error? *Fides* in hoc ſenſu eſt fundamentum Eccleſiæ; nec minus ſtabilis & immota triumphet, quàm eccleſia Chriſti quæ ſuper illam extructa eſt. Hæc eadem fides eſt illa [b] Καλὴ παραθήκη, depoſitum illud ab Apoſtolo Timotheo ſuo Commiſſum, & *in* [c] *Irenæo* ſæpiſſime appellatur *Traditio Fidei*, quæ ab Apoſtolis & Evangeliſtis Scriptis commiſſa eſt: Cujus ne quidem unicus Articulus deficere poſſit, ſicut nec unum iota Legis, unum verbum Dei non poteſt non adimpleri, & Mandatum unumquodque præſtari. Eidem verbo Dei, immo Sanctiſſimæ Dei promiſſioni incumbit iſta Sacra fidei Veritas. Chriſtus enim promiſerit, quod contra *res fidei creditu neceſſarias*, uti contra *eccleſiam illa fide nixam portæ inferorum non prævalebunt.* [d]

Quomodo ergo, nonne male ſupponitur ex his verbis in Textu prolatis, quod *fides*, ſi *objective* ſumatur, adeo deficiat, ut Lumen fidei obtenebretur? Certe nil minus; nam, 1°. Quamvis *in Se* Fides nunquam defecerit, *in Te* tamen deficere poſſit: Nullum *objectum Fidei*, ne *Unicum* creditu neceſſarium amitti poteſt; at *Tu* poſſis *unum* amittere, immo

b 2 Tim. 1. 4. eadem & ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων.

c *S.* Irenæi l. 3. c. 1, & 2. eccleſia annunciat quam in recenti ab Apoſtolis receperat *Traditionem* annunciantem *unum Deum Mundi Creatorem* &c. & *Traditionem ante oculos habitam* ait, hoc eſt, ſcriptis Commiſſam. *Traditione* igitur *quæ eſt ab Apoſtolis*, ſic ſe habente in eccleſia & permanente apud nos, revertamur ad *eam quæ eſt* ex *ſcripturis oſtenſionem*, &c. *S.* Iren. l. 3 c. 5. ex quibus & ſimilibus locis conſtat *Traditionem Fidei* eandem fuiſſe cum *Fide Scripturis* contenta.

d S. Matt. 16. 18.

totum

totum ſyſtema *fidei*. *Fides* in Eccleſia, ſicut *Sol* in Cœlo, puritate eadem ſemper triumphabit; at noſtri oculi & mentes nubibus obducantur. Caveto ergo, ne Lumen *in Te*, ne *Tua Fides* ſint tenebræ.

2°. Promiſſio illa, quæ fidei durationem, duraute Eccleſia, & immunitatem à periculo defectionis aſtruit, nulli uni eccleſiæ particulari in fide ſtabilitatem vendicat, multo minus iſti eccleſiæ, cujus Romanus Pontifex caput cenſeri gaudet, præcipue favere videatur: Sed *ad Catholicam Chriſti Eccleſiam*, & *ejuſdem* partes *ſingulis ſuis Epiſcopis* ſubjectas, *hac conditione* pertinet illa promiſſio, quod *Scripturis* ſingulæ eccleſiæ fideliter adhæreant, *illaſque integras* cuſtodiant. Si promiſſio iſta ſecuritatem *eccleſiæ alicui particulari* præſtiterit, certe vendicaret eam *Hieroſolymitana*, quæ prima, & veriùs quàm altera *Mater* audit *Cæterarum:* Ex *hac* enim Evangelium ortum & progreſſum fecerit; Per omnes enim Gentes Apoſtoli ejusdem præcones exierint prædicare, *Hieroſolymis incipientes*. At *hæc eccleſia*, & *ejuſdem Fides* diu defecerit, *Lux Fidei ibi* extincta eſt, & *Candelabrum ejus* amotum. Nec *eccleſia*, *quæ* floruit *Antiochiæ* (*quam Sanctus Petrus ibi* plantavit) ultra Septennium *Romana* antiquior, hoc vendicavit *ſibi*, vel *fidei ſuæ* Privilegium, iſta promiſſione Chriſti ſuffultum. Sicut *iſtæ ſeptem*, *quæ in Aſia* erant, eccleſiæ, defecerunt, ſic & hæc etiam *Antiochiæ* periit, & [a] *Angelo fidei Cuſtode* diu caruit. At unde *Romanæ* fidei duratio promitteretur, cum *Romæ* tunc temporis, quando Chriſtus promiſerit, *nondum ulla fuerat Eccleſia?*

[a] Epiſcopo ſuo. Rev. 2. 1.

Nec

Nec enim, dum oravit Christus ne *Fides Petri deficeret*, Successores ejus eandem in Fide perseverantiam sibi legatam habuerint, tanquam Petri Cathedræ annexam. Tunc enim, [b] Liberius ob fidem orthodoxam mansisset exul; nec unquam (ut Sanctus Athanasius, Hieronymus, & Hilarius testantur) Arianæ subscripsisset hæresi; cum [c] Sanctus Hieronymus miratus sit Schisma adeo in ecclesia numerosum, totumque pene orbem appellaverit Arianum. Nec Celestinus primus, ut [d] Alphonsus à Castro testatur, errâsset non solum ut privatus homo, sed ut Papa: Nec [e] Honorius concilio Generali sexto suam confirmâsset hæresin: nec [f] Johannes 22us hæreticos errores in ipsa constitutione sua judicialiter scripsisset & decrevisset: nec [g] Vigilius, ut plures mittam, propugnando tria capitula, Nestorianorum hæreses pro Orthodoxa fide definivisset. Restat ergo, ut *immunitas à defectione in fide* sit *universali* Christi ecclesiæ data; & ista etiam indefectibilitas ad [h] *res fidei absolute necessarias* restringenda est, ad fidem in Scripturis perspicue contentam, & [i] non ad omnia de fide dogmata non necessaria, vel Conciliorum decreta, longa serie consequentiarum deducta; quod fusius ostendam, de Motivo fidei mox dicturus.

b Vit. Liber. in Platina; & in Ciaconio, Cabrerâ, & Victorel. & passim in Hist. Concil.

c S. Hieron. con. Lucif. & in c. 5. Galat. Vincen. Lir. cont. hær. c. 6.

d L. 1. de hæres. c. 4.

e Conc. Gen. 6. Act. 13, & 14.

f Occam. in Compend. error. Johan. 22.

g Hist. quinti Gen. Concil. Constantinopol. habiti sub Justiniano Impp.

h In ecclesia militante est *certum* judicium quantum ad ea quæ *necesse* est *credere explicite* ad salutem æternam consequendam; quia semper usque ad finem mundi erunt &c. qui in vera fide *explicite* permanebunt.

i sed circa ea quæ non sunt necessaria *explicite* credere, non est necesse quod semper in *Ecclesia Catholica* sit *tale judicium*. De iis melius est piè dubitare, quam temerè unam partem contradictionis affirmare. Occham. Dial. l. 5. c. 28. p. 1.

Interea,

Interea, tertiò, non obstante Christi promisso, ita restricto, ad Conservandam *fidem ecclesiæ* ne [a] deficeret unquam, hæc ipsa pura licet *in se* Fides, & in ecclesiæ Christianæ membris maxime puris, *in Te* tamen quicunque sis, [b] corrumpatur fides: Sicut Lux Tenebris admiscetur Crepusculo, sic *in Te* verbum Dei (objectum Christianæ fidei adæquatum) humanis erroribus admisceatur, & fides miscendo corrumpatur.

Ex ignorantia hoc fieri ut plurimùm charitas crederet; at ex malitia, & de industria aliquando id factum fuisse abunde constat. Si autem *error* in *fide* sit *voluntarius*, quantus est error? Et quid aliud, quid minus fuerit figmentum illud [c] *Commonitorii* ad sextum Carthaginense Concilium à *Zozimo Papa* missum, quod ab eodem Concilio detectum erat, & unà cum Authore damnatum? Veritates Fidei & Religionis non indigent hujusmodi Argumentis quippe quæ non sunt, nec esse possunt columnæ veritatis; si tempore Sancti Augustini, qui adfuit isti synodo, Judicium Episcopi Romani, & mos appellandi *Zozimum* tunc Episcopum Romæ, agnita fuissent, uti jura Cathedræ, non *veros* unquam quartum & quintum Canones Nicænos corrupisset *Zozimus*, nec dein more *falsarii* cudisset novos.

Nec legati Leonis Papæ in Concilio Chalcedo-

a Fides quam B. Petrus tenuit, & prædicavit, & docuit, nunquam deficiet, sed in aliquibus &c. usque ad finem sæculi perdurabit. Occham. Dial. l. 2. c. 25. & l. 5. c. 3. p. 473.

b Omnis congregatio quæ potest *errare* contra *bonos Mores*, potest errare contra *fidem*; quia mali mores excæcant intellectum. Occham. Dial. part. 1. lib. 5. cap. 26.

c Circa Ann. Christi 420. de quo vid. Bin. Labbe, Cossartium, & Collect. Reg. & Plat. in vita Zozimi.

nensi Canonem [a] sextum Nicænum corrupissent ad astruendum episcopi Romani *Suprematum*.

At nondum Vis [b] *Commonitorii*, vel [c] *Donatio ficta Constantini*, tanti erat, ut inde astruatur Dominium istius ecclesiæ super reliquas omnes. Hoc erat dedecus Tridentini Concilii, *ut Papæ suprematus esset articulus Fidei*. Longum esset percurrere alios undecim articulos istius Conventus; quibus addam id unum quod erat impositum ipsis articulis gravius; ut sint omnes, & singuli, *Conditio Catholicæ Communionis*. Cave ergo, ne fides Tua in *specie tantum* Apostolica & Primitiva, sit *revera* vel Lateranensis, vel Tridentina; ne Lumen *fidei objective sumptæ* à *Christo* & *Apostolis* derivatæ admisceatur istis tenebris. Si enim Fides Tua *objective* sumpta sit error, quantus est error.

3°. Periculosissimus *error* imputabitur tibi, si male judices de *motivo Fidei*, si Judicium Tuum de *Motivo credendi*, & *ratione assensus Tui* sit *erroneum*. Si reddenda sit ratio *assensus Tui* in omni actu credendi, *Solius Dei Testimonium illud* est, à quo

a Con. Chal. (An. 451,) Act. 16. To. 2. Conc. verba citarunt Can. 6. non inveniendo.

b Bonifacius, & *Celestinus*, *Zozimi* in Fraude, sicut in Cathedra, *Successores* propugnarunt *Commonitorium*, ex istis *fictis* Canonibus excerptum. Ep. Conc. Carth. ad Celestinum.

c Bin. in notis suis in *Edict. Constantini* citat *Epist. Melchiadis* (quam tamen ipse fatetur tandem esse spuriam) ad corroborandam *Donationem hanc*, in qua *Impp.* subjicit omnes *Epis.* Episcopo *Romæ*, & omnia *Regna occid.* & ipsum *Imperium* Regimini Papæ. Bin. rejicit Epistolam, quia agitur in ea de *Nicæno Conc.* at *Melchiades ante* illud habitum obiit; ideoque *ipsam Donationem* vel corruptam, vel à *Græcis* fictam opinatur. De illa ad mille ann. post Christum nulla mentio (ait Bin.) & *tunc* ab Impostoribus *Græcis* addita erat actibus (fictis item) Sylvestri; à *Theod. Balsamone* primum ea edita est, sub falso nomine *Eusebii* Episc. Cæsareæ. At credibile est *Latinos ipsos* impostores fuisse, *quorum suprematus* pendebat *partim* ex hujus Donationis Testimonio, quamvis Bin. ait Donationem detrahere Juri *ejusdem* Divino. Adrianus P. Epist. ad Impp. (ut videre est in Histor. Conc. Nic. 2.) ex *donatione* probat *suprematum*. Et obiit *ille* ann. 795. Et *Leo* 9. Ep. ad *Mich. Constantinop.* &c. similiter *eandem* citat ann. 1054. An impostores *Græci fefellerint Leonem*, judicem nimirum *infallibilem*? Vide Isidor. Merc. Collect. Concil.

Fidei Tuæ *Obſequium* fiat *Rationale*: *Certiſſimum* hoc *Motivum*, & *infallibile* fidei Fundamentum. Nam, ut *aſſenſus* noſter ſit proprie *fides*, eaque *Divina*, requiritur, ut ejus etiam cauſa *Divina* foret; nec enim Effectus Cauſa dignior eſſe poteſt: Uti nec fluvius altior aſſurgat quam ejuſdem Fons. *Motivum aſſenſus noſtri* teſte Deo minus erit *humanum*, & illud non niſi *humanam* producat *fidem*. *At ſi Divina ſit doctrina, quam ſequimur, divina debet eſſe authoritas cui Credimus* [d]. Adeo ut, non tantum *objectum Fidei*, ſed & *Motivum* aſſenſus (cur Articulum quemlibet amplectimur) ab eodem Divino fonte petendum eſt. Si enim *ipſis Apoſtolis loquentibus* fides reſolvatur in *Deum*, *illos* ſcilicet inflantem, & non in *ipſos per ſe*, multo magis *in Deum* eſt jam reſolvenda fides, potius quam in *præſentem eccleſiam*; & in *Apoſtolorum Scripta* potius, quam in Epiſcoporum eis ſuccedentium *dicta*, in *Traditionem* Concinnata. Non enim poteſt aliquod [e] *certum* eſſe certitudine fidei, quicunque ſit qui doctrinam tradit, niſi aut immediate contineatur *in verbo Dei ſcripto*, aut ex *verbo Dei* per evidentem Conſequentiam *deducatur*. Quippe quod ſola *ratio aſſenſus noſtri*, & ejuſdem *certitudo*, de veritate verbi Divini in *Scripturis*, à *Spiritu Sancto* petenda eſt, Sacros ſcriptores inter ſcribendum, ut Animarum incola,

d S. Auguſt.

e Fatente Bellarm. de verb. Dei ſcript. l. 1. c. 2. At *Sacris Scripturis*, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continetur, nihil eſt notius, nihil *certius*; ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, 2 Pet. 1. 19. & cum dixiſſet (inquit Auguſt. de verb. Apoſt. ſerm. 29.) *hanc vocem* audierimus *de Cœlo* (*Matt.* 3. 17. 17. 5. 2 Pet. 1. 17, 18.) ſubjunxit atque ait, habemus *certiorem* propheticum Sermonem. Sonuit illa *vox de Cœlo*, *certior* eſt propheticus ſermo. *Certiorem* dixit, non meliorem, non veriorem. Tam enim verus ille *ſermo de cœlo* quam ſermo propheticus, tam bonus, tam utilis. Quid eſt ergo *certiorem, niſi in quo magis confirmetur Auditor?*

intus

intus habitante: *Deus ipse*, ſcilicet *Spiritus Sanctus*, in Apoſtolis loquutus eſt, & veritates fidei illis dictavit ſingulas, quibus oportet nos credere: ideoque de *illorum ſcriptis* ratio credendi bene conſtat, quod *certi* ſumus *Deus hoc dixit* quod *ſcriptum* eſt: at de decretis, ſeu expoſitionibus interpretis eccleſiæ, vel Collectivæ, vel in Concilio repreſentativæ, quis audeat idem hoc aſſerere, quod *Deus hoc* dixit, *quicquid iis* unquam viſum eſt decreviſſe? Audi enim Apoſtolum, ſeu potius *Spiritum Veritatis* in illo loquentem, 1 Cor. 2. 16. *Quis mentem Domini cognoverit* unquam, vel *Deo fuerit à Conſiliis*? *At nos* (inquit Apoſtolus) *mentem habemus Chriſti.* Quippe nos *Apoſtoli* ſumus Θεόπνευστοι. Abunde ergo ſufficiat nobis Evangeliſtæ, vel [f] *Apoſtoli* Scriptum, quoniam uterque Θεόπνευστος. Sufficiat horum uterque, tum *objecto* fidei, tum *Motivo* aſſenſus noſtri; *priori*, ad articulum fidei aſtruendum, ut firmus, & indubitatus, &, quoad veritatem, in ſe *certus* ſit: *poſteriori*, ad Aſſenſum noſtrum roborandum & confirmandum, ut nempe firmus, *certus*, & indubitatus ſit *aſſenſus*, ab Apoſtolo, *Motivo* aſſenſus pendens, ideoque ex parte credentis à nulla revelatione enthea *infallibilis*, nec tantum *Traditione* ſimpliciter *humanâ* ſuffultus.

Verum, etiamſi ſcriptum Θεοπνεύστως ſufficiat, tum *objecto* fidei, tum *Motivo* aſſenſus noſtri; ut *prius* ſit Divinum; & *poſterior*, non levis & *incerta* ſit opinio, ſed *certiſſimus* aſſenſus; [g] *Neutri* tamen *horum*

f Nam ſcripta *Apoſtolorum* nos ſuſtinent, & firmitate & conſtantia fidei & veritatis fulciunt. Cyril. Alex. in Iſaiam, l. 2. c. 12.

g Non ideo certa fides, quia toti eccleſiæ communis eſt, ſed quia nititur *Dei veritate*. Bell. l. 3. de juſtif. c. 3. §. Quod vero Concilium.

ſufficiat vel decretum Pontificis, vel ſententia totius eccleſiæ in Concilio, multo minus Traditio ſimpliciter humana, *quæ nullo Revelationis fundamento*, ne vel prætextu *Revelationis* nititur. Eo nomine ſolummodo Sanctus Auguſtinus Apoſtolicæ credidit Traditioni de Baptizandis infantibus univerſaliter in Eccleſia receptæ, quod erat eadem *Divina* [h] *Traditio*, & in [i] *Scripturis* fundata; quia habuerunt Apoſtoli in *Scripturis Traditis*, & nobis commiſſis immediatas à *Deo* Revelationes.

Quod nulla authoritas *humana* tanti ſit, ut *objectum Fidei*, vel *Motivum* aſſenſus noſtri illi innitatur, id unum probat quod eſt *humana tantum*, ideoque *incertus* inde Sequeretur Aſſenſus. *Certitudo* ex *humano* Teſtimonio orta *Scientiæ certitudine* minor eſt; at aſſenſus fidei, in actu credendi, *Scientia* eo *certior* eſt, quo *certior* eſt *Dei teſtantis* notitia, etiam & Dei veracitas, quam hominis facultas ad demonſtrandum: Major enim quamvis *evidentia* ſit in Demonſtratione, minor tamen erit in ea, quam in *Deo Teſte Certitudo*. *Sola* ergo *vox* [k] *Dei* in *Scripturis* loquentis tanto Negotio par eſt, ut abſolute *certus* oriatur Aſſenſus, [l] *certa* fides, & eccleſia *certa* ſuper *fidem* illam fundata. At *hoc* officium eſt eccleſiæ *præſentis* (inquiunt quidam ex Romanenſibus) non *Scripturæ* mortuæ & mutæ; nec enim *Scripturæ*

h Gen. ad Lit. c. 23.

i Unde ipſa Traditio &c. ſi in Evangelio percipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut actibus continetur, &c. obſervetur divina hæc & ſancta Traditio S. Cypr. Ep. 74. S. Jo. 3. 5. Act. 2. 38, 39.

k Scriptura judex eſt Traditionis, Tacitis iſtis & quaſi mortuis tabulis loquitur vivus SS. & voluntas judicis velut in Teſtamento ſic inquiratur. Optatus Milev. cont. Parmen. lib. 5. tanquam in ſede quâdam ſublimi conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus. S. Aug. contr. Fauſtum Manich. lib. 11. cap. 5.

l *Certior* propheticus Sermo. 2 Pet. 1. 19. de quo vide quod ſupra notat.

huic

huic muneri ſufficiunt: *Scriptura* ſiquidem exiſtente Duce & *Regula* fidei, quam *incertum* eſt *motivum* credendi, quam cæcus item aſſenſus? Abunde conſtat utrumque, inquiunt illi, dum [m] Sociniani ex *Scripturis*, tanquam *Regula* fidei, Trinitatem perſonarum, Chriſti Divinitatem, *& Spiritus Sancti Perſonalitatem* redarguunt; & ex *iiſdem Scripturis* ipſi Reformati contrarium aſſenſum aſtruunt: nec obſtare poſſit *hæc fidei Regula* ſcripta, quin alter horum *fundamentaliter* erret.

Cui Argumento, graude licet ſonet, paucis, uti ſpero, reſpondeam, dicendo, 1°. Laborant certe præjudicio *Sociniani*, non minori quidem, quam ipſi *Judæi*, & incredulitate æque culpabili, dum *quas* Judæi negant, admittunt *Scripturas* ut *Regulam*, & nolunt ab *iis* regi *Scripturis*, quæ adeo expreſſe, & perſpicue iſtos articulos eloquuntur.

2°. Humanam rationem *privatam* licet, *Sociniani publicæ* Spiritus Sancti *Revelationi* præferunt; dum profitentur ſe nil credere, niſi quod intellectu Complecti poſſunt. Nec enim *objecta Fidei*, ſupra rationem revelata, quæcunque recipiunt. Si *objectum Fidei* ſit doctrina *rationem* tranſcendens; ſi *Facultas illa* doctrinam revelatam nec excogitare, nec excogitatam ſcandere poſſit; Si, demum, *Fides Chriſtiana*, perſpicue licet revelata, ſit tamen in ſe ſublimis & Cœleſtis, & quoad modos & methodos Providentiæ, (Apoſtoli verbis ut utar) [n] *Sapientia Dei in Myſterio* latens, adeo ut Sociniani nequeant quæſtioni reſpondere, [o] *quomodo hæc fieri* poſſunt? tunc audacter illi *revelationem* negabunt, nec aſſen-

m Cat. Racov. *n* 1 Cor. 2. 7. *o* S. Jo. 3. 9.

ſum

ſum *veritati* dabunt; &, *Dei Optimi Maximi Teſtimonio* non obſtante, Socinus *credere* nolet.

Dum falſiſſimo *hoc* nituntur *principio* non mirum eſt, ſi incidant in *errores*, &, perſpicua licet, & recta ſit *Scripturarum regula*, curvas & contortas concluſiones, & omnino falſas inferant; quæ non ex ipſis *Scripturis*, ſed ex *Legentis Judicio* falſis principiis inquinato & corrupto ſuam ſumunt originem. Quamvis ergo *Scripturam* agnoſcunt Hi, ut *Fidei Regulam*, tam falſo tamen *corrupti* principio, *Rationis* ſcilicet ſupra *fidem*, ſupra *Deum* evectæ, in *rebus fidei* non poſſunt non *errare*. Corrupto quippe *Judicio* de principiis *fidei*, *ratio* Socini *revelationi Dei* refragatur, & manente hoc unico intus fixo (potius dicam *erroris*, quam *religionis*) Principio, veras fruſtra de fide venatur Ille Concluſiones. In aliis controverſiis *Sociniani* veritatem oculis plane Lynceis cernere poſſint; dum in *his* omnino cæcutiunt. Ergo, ſi *Lumen judicii* de aliquo religionis unico Principio quod eſt in te ſit erroneum, quantus eſt error? Scripturæ de *Deo Tri-uno*, *Deo Chriſto*, & *Spiritus Sancti Perſonalitate* ſunt *in ſe* Lumen, adeo perſpicue ſunt à *S. Sancto* revelatæ; at Cave, ne ſint *in Te* tenebræ, ut in *Socini* Diſcipulis; & veritates religionis *erroribus* obductæ ſint. *Errores hi* in plurimis, iiſque doctiſſimis Socini diſcipulis, ex *ignorantia* intellectus oriri nequeunt, quia hujuſmodi veritatis capaces eſſe ſolent. Nec 2°, *voluntarii* ſint *errores*; ut in iis qui oculos claudendo fiunt Cæci. Nec *errant*, tertio, ex *defectu* Lucis, Divinæ ſcilicet *Regulæ*, in *Scripturis* ſat perſpicuæ: ſed ad falſum referendi ſunt prius poſitum principium,

Quod

Quod supra rationem est excogitare, id supra fidem est credere. Falsissimum *hoc* Principium *erroribus* profecto fœcundum est, iisque periculosissimis; nec mirum est, si nonnulli ex *Socinianis Naufragium* hinc *Fidei fecerunt*, immo *fidei fundamentalis*, *quæ*, cum ad salutem *explicite creditu* necessaria sit, *semper*, *ubique*, *& ab omnibus* credenda est. *Ergo, si lumen fidei quod in Te est, sint tenebræ, quantæ sunt tenebræ?* Densæ profecto, & periculosæ; sed an non infernales tenebræ, ad Gehennam prodromæ, *penes Sapientes esto Judicium. Charitas* sperare docet, ut non tam exitiales forent: nec ut *Sociniani* perpetuo vel *ecclesiæ*, vel misericordis *Dei* subjiciantur *Anathemati.*

Quamvis enim *errores hi* (si liceat loqui) *primæ* sint *Magnitudinis*, quamvis *hæretici*, & Fidem Christianam in *fundamento* concutiant, non tamen ideo statim desperandum est. Nec sint [p] omnes & singuli *hæretici* vel ex hac, vel altera meliori vita temere & judicialiter à *nobis* extirpandi. Nam, tertio, Præter præjudicium quo laborant *Sociniani*, & principium illud *erroneum*, cui, tanquam *Traditioni avorum & proavorum*, firmiter adhærent, didicit *Ecclesia Anglicana* in *praxi*, ut in *fide Reformata*, didicit, inquam, ex *sponso suo Christo* viscera Misericordiæ, & Evangelicam Charitatem; deditque nobis Regulam, in Scripturis quibus innititur, de censura perspicuam, vetuitque, ne quis *hæreseos* stigmate, quasi fronte notetur, & à communione repellatur, nisi *pertinaciam* erroribus addat, nisi *obstinati* sit

[p] Videant hi qui facile de hæresi pronuntiant, quam facile etiam ipsi errarent? Alph. à Castro c. hær. p. 23.

animi,

animi, nisi sit, ut Apostoli verbis ad Titum utar, Αἱρετικὸς αὐτοκατάκριτος, i. e. *Hæreticus*, [q] *qui suo judicio sit condemnatus. Tit.* 3. 11. *Error* enim *his* nudatus circumstantiis, ad mentem *Apostoli, tantum Error* est, & tantum *materialiter hæresis*. Est enim error *solius intellectus*, vel ex *ejus* defectu, vel quæsitæ veritatis *obscuritate* petendus: ideoque qui *sic* errat, potius infortunio laborare, quam culpa implicari censendus est.

De *errore* tantum *materialiter*, & *improprie* hæretico Sanctus Augustinus ita loquutus est, --*Errare* possim, *hæreticus* esse nolo. [r] *Errare* possim, quoniam *humanum* est *errare*. [s] Veritas *Religionis* minus ad salutem necessaria, sicut veritas *naturæ* (ut philosophus ait) in puteo quasi lateat; vel intellectus ipse naturaliter deficiat; Ideoque nemo *non errori* obnoxius esse videatur. At si quis remota *erroris* nebula veram *agnoscat* fidem; si [t] *pertinaciam exuat* errore manifestato & expositio; si non sit *obstinatæ* voluntatis, & *suo judicio Condemnatus*; *Error hujusmodi* non *proprie hæreseos* reatum contraxit; nec qui sic erroneus *formaliter* hæreticus dici potuit. *Dei*

q Qualis *Cerinthus*, inter plurimos censendus est, quem cum vidisset *Joannes* Domini discipulus in Epheso iens lavari, exilierit de balneo non lotus, dicens quod timuit ne balneum concideret, cum intus esset *Cerinthus inimicus veritatis*. Tit. 3. 10. vide Epist. Polycarpi ad Philippens. Sunt, qui audierunt *Polycarpum* ita dicentem, inquit Iren. l. 3. c. 3. Per *Hæreticos Arium, Nestorium, Eunomium*, &c. *major pars* veram ecclesiam deseruit, ad dogmata credenda à Traditione patrum sanctorum aliena. Dried. de eccl. dogm. l. 4. c. 2.

r Multi *erroribus* de *mille annis*, & *de iteratione baptismo* &c. maculati, beatitudine sunt donati, & ab ecclesia celebrati: uti Papias, Cyprianus, Victorinus, &c. Franc. Picus. Theorem. 23.

s Nec Parentum, nec Majorum error sequendus est, sed authoritas Scripturarum, & Dei docentis Imperium. S. Hieron. super Hagg. c. 1. Multa sunt in opusculis meis (inquit Aug. de Animi orig. c. 1.) quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari.

t Error qui pertinaciam non habet, non obviat Sanctitati. Occham Dial. l. 2. c. 4. Non est peccatum, nec repugnat charitati, nisi pertinacia adhibeatur.

solus

ſolius eſt, qui corda ſcrutatur, certò dignoſcere, quis *ſit* αὐτοκατάκριτος, quis *non* ita? Ideoque eccleſia *Reformata* apud nos, non præceps fertur judicando vel *Socinianos*, vel *Romanenſes*, utcunque (ipſo Sp. Sancto in Scripturis perſpicuis judice) *hæreticæ pravitatis* utrinque reos, dum *Sociniani Fidei fundamentalis* veritatibus detrahunt, & *Romanenſes eidem fidei primitivæ* & *antiquæ* corruptiones & errores admiſcuere, & *antiquæ fidei corruptæ hodiernam* & *novam* fidem addidere *Tridentinam*. Verùm Eccleſia, ut modo dixi, noſtra, in Anglia reformata, licet *nullis erroribus* in *Fide*, vel peccatis in *praxi*, *infirmitatibus* tamen ut *pia Mater* indulget; & dum Romanenſis [a] *Noverca* pari paſſu *exterminando* & *judicando* feſtinat, Ipſa Anglicana *indeſinenter Orando charitatem* ſuam exhibet, & *Chriſtum* erga omnes *Charitatis Fontem* ſupplicat, ut *Errantes & ſeductos in viam veritatis revocare dignaretur*. Interea, ſi medicina quævis, ſi quod reſtet remedium, ſi contra *Socinianæ* vel *Tridentinæ hæreſeωs* venena Antidotus parari poſſit; (ut ſani in vera fide conſerventur, & hæretici non obſtante hæreſeωs contagione Chriſti merita audacter appellent, & ſalutem æternam adipiſcantur,) *ſolæ Scripturæ* hanc ſuppeditare poſſint Medicinam, *ſolæ* pravitatis hæreticæ contagionem ſuperare valeant. Duplici argumento, tanquam duplici telo armatus *hinc* prodeat *Miles Chriſtianus*, & quamvis *erroneus*, quia tamen non *voluntarie* talis ſit, qui in jus vocatur, cauſam acturus coram *Chriſti* Tribunali, feliciter vincat & Co-

[a] Romana Eccleſ. *ſe* non tam *matrem*, quam *novercam* exhibet: ſedent in ea ſcribæ, & phariſæi &c. Joh. Sarisb. Polycrat. l. 6. c. 24.

ronetur. Ἡ Βασιλεία τῶν ὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτὴν. S. Matt. 11. 12. *Precum* violentiâ ſic ille ſcandat, & rapiat Cœlum; veniam rogando ſic Deum interpellet: Errantis Servi Tui, *Te, Miſericors Deus!* Miſereſcat mei, 1°, Quia *non volenter erravi.* Noſti *Tu*, & *Te* appello, quod *non ſim* αὐτοκατάκριτος, *proprio Judicio condemnatus*, ſed *Error*, qualiſcunque ſit, gravis licet, fuerit tamen *involuntarius.*

2°. *Te, Miſericors Redemptor!* Miſereſcat mei, quamvis *Erronei*, quia [b] *Sacras Scripturas*, tum *de Te propheticas*, tum *Evangelicas* & *Apoſtolicas*, ſemper, & firmiter, & *illas ſolas* crediderim: *Illas*, ut *unicum* verbum Dei crediderim; nec enim *Verbum Dei non ſcriptum* unquam agnoverim; quia *Solas Scripturas* credidi *divino* Spiritu afflatas eſſe. At ſemper credidi, & ſemper adoravi plenitudinem, & perſpicuitatem *Scripturarum. Solis Scripturis*, tanquam *Fundamento*, morum & fidei regulas ſuperſtruxi: Precor ergo, ut nullus *error involuntarius* in *Tecto*, Fidem, quam in *fundamento Scripturarum* firmam teneo, caſſam reddat, aut evertat.

Quod ſi *Scripturæ ſolæ* fuerint *Socino*, & *aliis Hæreticis*, *objecto fidei*, & *Spiritus Sanctus* (*in iis* loquens) *motivo formali*, cur *Scripturis* aſſenſum dederint, non dubitarem, quin vis & veritas *Scripturarum, quas* firmiſſimè tenent, *errores* ſanent & emendent, veniamve *iſtis erroribus* obtineant, *quos Hæretici* (imprudentes & inviti) ſuperſtruxere *Scripturis. Errare* unuſquiſque poſſit, uti *Beatus Epiſcopus* & Martyr, *Cyprianus, rebaptizando ab hæreticis*

b Ex *his* eruite aliquod manifeſtum quo demonſtretis eccleſiam. *S.* Aug. de Un. Eccl. c. 16. ſuper *has* ædificata eſt Eccleſia. Idem.

bapti-

baptizatos : at quoniam *errori* idcirco assensum dederit, quia *Scripturis* tradi crediderit, *illas credendo, veritatem fidei, errori* quem *explicite* profitetur, *contrariam* in *Scripturis* contentam *implicite saltem* amplexus est: Et sic aureo hoc fundamento *Scripturarum* quisquis adhæret, ut *Cyprianus*, non *fataliter* errabit: *Ejus implicitus* assensus *veritati* in *Scripturis quam non percipit*, valebit (ut autumat [b] *Doctissimus Crackanthorpus*) in *illo*, ut in *Cypriano*, ad salutem: sed fœnum & stipula, hoc est, *explicita* Erroris opinio non valebit in *alterutro* ad Perniciem. Ergo, si qui sint de se *dubitanter erronei*, qui *sibi* velint errantibus *obicem ponere*, attendite *Scripturis* tanquam *objecto Fidei*, & *Spiritui Sancto* in *Scripturis loquenti*, tanquam *assensus principali Motivo*, in *quod ratio credendi* tutò resolvatur; sic enim, vel *non* posthàc *errabunt*; vel saltem *errores* non erunt *errantibus exitiales.* Nimirum hoc erroris Remedium nil [c] *Illis* prodesse potest, *qui* multum errant, & credunt *se non posse* errare: nil *illi* profit, *qui* nec *Scripturas* ut *objectum fidei* adæquatum, nec *Sp. Sanctum* in *iis loquentem*, ut *assensus Motivum* credit; sed qui sub nomine [d] *Ecclesiæ*, vel [e] *Romano Pontifici* innititur, utcunque *erroneo*; vel [f] *Concilio*, quod *potest errare*; vel *Traditioni Ecclesiæ collective sumptæ*, quæ & *maxime erronea Dux*, & omnium *maxime in-*

b Cont. Spalatens.

c Ipsis Rom. Præsulibus; à reprobis Ecclesia regitur, inquit Petr. de Aliaco lib. de Reform. R. Eccl. A tempore Innocentii 3tii nulli Pontifices in Sacrarum literarum peritia excellentes Occham. Dial. parr. 1. l. 2. c. 28. Grammaticam plurimi eorum penitus ignorant. Alph. de Castro l. 1. de hær. c. 4.

d Ecclesiæ nomine armamini, & contra Ecclesiam dimicatis.

e Summi Pontifices inventi sunt *Apostatasse à Fide.* Zepherinus Papa fuit *Montanista.* Marcellinus *Idololatra* (inquit Lyra in Matt. 16.) Liberius *Arianus*, Virgilius *Eutychianus*, Honorius *Monothelita.*

f Quod si Concilium in *hæresin* laberetur &c. Occham. Dial. l. 5. c. 28.

cognita. Et quamvis hæc triplex, *humana tantùm* eſt *authoritas*, ſuper *hanc* tamen Romanenſes extruunt ſibi *Eccleſiam*, & ſuper *Eccleſiam*, *fidem*; & ſic *divinæ* in *ſcripturis* elucenti *authoritati humanam* præferendam duxerint[g].

Eccleſiæ ſolius eſt, inquiunt illi, tum Canonem, tum mentem, ſive *ſenſum Scripturarum* exponere, ut *fides ipſa* ſit *certa*, & *Motivum aſſenſus certum*; & hoc patet ex diſcordiis inter Reformatos, & perpetuis *de fide* controverſiis, ad quas dirimendas *Scripturarum litera* non ſufficit. At quidni [h] *Scripturæ*, *quæ* peſſundederint errores, & hæreſeos vulnera Medicabilia reddere potuerint, *pacem* etiam, & à litibus de *Fide quietem* reſtituant? Et cur *Judex* iſte *Romanenſis*, qui *noſtras* diſcordias finire *vellet*, non prius probet ſe *poſſe* finire *noſtras* lites, finiendo [i] *ſuas*? *Eccleſiæ*, hoc eſt, *Præſulum* in *eccleſia* eſt, dubios Scripturarum Textus *exponere*; at *non expoſitiones* tanquam *inſpiratas*, aut *Scripturis pares* proponere, nec [k] *ullas* à *Scripturis alienas* reddere. *Ejus* eſt *obſcuros textus* interpretari, & *cujuſlibet privati perſpicuos* intelligere.

At *fides* in *eccleſia Anglicana tribus Symbolis* & *Scripturis* contenta ſatis ex *ſe* eſt *perſpicua*; & *fides iſta*, de *qua* Lites ut plurimum oriuntur, ſunt *falſæ quædam* de *fide opiniones*, non *fides ipſa*; & ideo *non* cre-

g At ſi *Teſtimonium hominum accipitis*, *teſtimonium Dei majus eſt.*

h Afferamus divinam ſtateram de *Scripturis Sanctis*. *S.* Aug. lib. 2. cap. 6. contr. Donat. *S. Cyprian.* de Baptiſm. ſerm.

i Dominicus Soto, & Andr. Vega edidere (Authoritate Pontif.) opiniones contrarias invicem, de certitudine Salutis æternæ, an quis certus de ea ſit, certitudine Fidei? Sic Catherinus & Bellar. de fide Catholica diſſentiebant. B. l. 3. de juſtif. c. 3.

k Eccleſia non excedit limitationem *Scripturæ* Durand. δεῖ Παῦλω χρὴ &c. ne Paulo obedire oportet, ſi *quid* dixerit *proprium*, ſi *quid humanum*, &c. *S.* Chryſoſt. in 2 Tim. Hom. 2.

ditu

ditu neceſſariæ, quia vel *obſcuris* & *occultis*, vel *nullis* [l] *ſcripturarum textibus* occurrunt. Inter *falſas opiniones*, *fictas* hypotheſes *de fide*, & *non* ipſius *fidei primitivæ* articulos, recenſeamus *Cœtus Tridentini Decreta*; quippe multa decernuntur credenda [m] *præter ſcripturas*, & *plura Sacris Scripturis oppugnantia*, ideoque *prorſus incredibilia*.

Hinc, quam *incertus* dicam, an *impoſſibilis* fuerit *ejus aſſenſus*, *qui*, *Motivo* tam *Corrupto* innixus, *Locali* glorificati corporis *præſentiæ*, imo & *panis abſentiæ* Euchariſtici aſſentiatur? At quam *certiſſimus aſſenſus noſter*, & *fides* etiam *firmiſſima*, dum *Spiritui veritatis* in *Scripturis* firmiter adhærentes, *Chriſti verbis* utimur, *Spirituali* & *ineffabili* Corporis & ſanguinis quoad utriuſque virtutes *præſentiæ*, paniſque *ſimul præſentiæ* poſt Conſecrationem aſſentimur? Quænam etenim eſt [n] *Eccleſiæ* authoritas? magna licet fuerit & *Sacra*, non eſt *Chriſti Magiſtri*, ſed Diſpenſatoris; non ad *Condendam*, ſed cuſtodiendam *fidem*: non ut *veritatem* Libris Canonicis *tribuat*, ſed ut doceat *illos*, & *non alios* eſſe Canonicos. Nec [o] ſi *Eccleſia* nobis aditum præbeat ad hujuſmodi Libros *cognoſcendos*, protinus *ibi* acquieſcendum eſt, tanquam in *Motivo Fidei*, ſed ulterius oportet progredi, & *ſolida Dei veritate* niti, tanquam *certiſſimo* aſſenſus noſtri, & ipſius *Fidei fun-*

l Regula fidei eſt concors *Scripturarum Senſus* cum *Articulis fidei*. Al Mag. In S. 1. d. 11. S. Hilarius fidem agnoſcit, quæ ſcripta eſt; qui repudiat eam Antichriſtus eſt, qui ſimulat Anathema eſt.

m Contr. Artic. Eccl. Angl. 20.

n *Vox Eccleſiæ* non eſt formale *objectum*, nec formale *motivum* fidei. 1 Pet. 5. 3. Durand. Traditio *præſentis* eccleſiæ non eſt Scripturis æquanda; at *Apoſtolica* parem vim ad pietatem habet S. Baſil. l. de Sp. Sanct. c. 27.

o *Fides* non ideo habet *Certitudinem*, quia *toti eccleſiæ communis* eſt, ſed quia *Dei* authoritate nititur &c. *qui* eſt ipſa *veritas*. Eccleſia probet eſſe *fidem revelatam à Deo*, & ob hoc *certam*, & indubitatam &c. Credo *hos libros* eſſe verbum Dei, at *non Traditionem Eccleſiæ ita aſſerentis* eſſe verbum *Dei*.

damento.

damento. Ecquis enim *Dei mentem* pleniùs intellexerit, quam ipſe *Spiritus Dei?* 1 *Cor.* 2. 11. Aut *Quis obſcuros* textus adeo explicaverit, ut æqualis *interpreti*, ac *Deo Authori* debeatur *honor*, & *Aſſenſus*? *Interpretationes* non ſunt *Revelationes*; nec *Eccleſiæ publicas*, ſi quis *Divinis Oraculis illas* componat, niſi ut *privatas* reſpexerit. 2 *Pet.* 1. 19, 20. *Id* teneamus, inquit Vincentius Lyrinenſis, [p] *quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum ſit*: Quod Tibi *creditum* eſt, *non* à Te *inventum*, *quod accepiſti*, *non* quod *excogitâſti*; *cujus non author* eſſe debes, ſed *Cuſtos*. Et nobis, inquit Tertullianus, curioſitate non opus eſt poſt *Chriſtum*, nec inquiſitione poſt *Evangelium* [q]. *Huic* promittitur *Fidei*, quod *non* vel *ex parte* peribit, quod *Eccleſia illi* firmiter adhærens *non deficiet*: *Utraque Deum* habuit *Authorem*, & *Deum* (*Sp. Sanctum*) vel in hoc Mundo *Comitem*, & *Paracletum*. Fidem *Singulis* neceſſariam, & Divino charactere firmatam, quis non *explicito* aſſenſu dignam autumet, & aſſenſum iſtum *abunde certum* ſuſpicetur?

At decretis *Conciliorum* de *fide* ſufficiat *implicitus*, & *Conditionalis* aſſenſus: *Huic fidei non fundamentali*, ſufficiat, inquam, præparatio animi, credere parati, *hac* lege ſeu conditione prius poſita, quod mihi, cujus eſt credere, conſtiterit *ex ipſis Scripturis* deduci poſſe decretum [r] Eccleſiæ; Interea *pacis* ſolum articulus, *non fidei* cenſendus eſt, niſi à quibuſdam *Doctis* pars *fidei illorum* videatur, *qui* ſerie

p Cap. 27. Cont. hæreſes.
q Cap. 8. de præſcription.

r *Eorum* authoritas *credenda eſt, quibus revelatio* facta eſt.

conſe-

conſequentiarum intellecta à *Scripturis* conſequi percipiunt. Quod *Scripturarum* veſtigiis inhærebant *antiqui Patres*, idcirco, ſicut *Gregorius Magnus*, ſic & Epiſcopus quilibet Eccleſiæ Anglicanæ *quatuor Prima Oecumenica Concilia* veneratus eſt; & adolevit *illorum* authoritas, ut authoritati *ipſius Evangelii* proxima. Sic & *Ambroſius fidem Nicænam* colebat, ut *Scripturis* Conſonam; cum profeſſus fuerit ſe, *hac ſolum ratione*, à *Nicæno Concilio* nec ferro, nec flammis ſeparari poſſe. Quibus illud addam [s] *Tertulliani* contra *Hermogenem*, Docete *ſcripta eſſe*, *quæ* credi poſtulatis; ſi *ſcripta non* ſint, timete *Væ illud* adjicientibus, aut detrahentibus deſtinatum [t].

Ergo, multum intereſt æternæ ſalutis noſtræ, ut *motivum credendi*, ſeu *ratio formalis aſſenſus* innitatur [u] *Deo* in *Scripturis loquenti*, ut ſic *Aſſenſus non ſit erroneus*; ut *Fides* non corrumpatur in *Canalibus* per quos tranſeat; ut demum *verbum Dei* propter *ſolum Deum* credamus, *purum veritatis Fontem*; Et *non* ob ullum *humanum Teſtem*, vel *pontificem*, vel *Concilium*, vel, ut nuperi Romanenſes addunt, *Eccleſiæ Collectivæ Traditionem*, ne Ducem cæcum ſequuti in foveam incidamus, in *errores fidei Tridentinæ*. Si enim *non adhærendo Scripturis* erras in *Fide*, quantus eſt error? Quam culpabilis eſt?

Antiquam ergo *fidem*, precor, teneatis, *quam* ut *Reformatam*, & *Legibus Angliæ confirmatam* ipſe teneo, & amplector, & ſemper amplexus ſum: Et *Tridentinam* repudietis, *quam* ut *falſam* & *erroneam* repudio, & ſemper aperte repudiavi. *Veritatem*

s Cap. 22. t Rev. 22. 19. u 2 Tim. 3. 15, 16, 17.

dico

dico per Christum non mentior ; ita me Deus adjuvet per Jesum Christum, Dominum nostrum. Amen.

At *non* in *fide* tantum, sed in *praxi*, lumen Religionis degeneret in Tenebras plane Cimmerias; hæc est altera provinciæ pars, de qua si pauca loqui liceat, brevitas dicendorum fiat Compensatio prioris Tædii. Caveto, ne Religio in *Praxi sint in Te* Tenebræ, quibus obductus *securus pecces*, & abscondas Te, & Tua peccata ; Cave, ne Religio *Sanctissima in se, in Te* foret tantum *Prætextus* ad *ejus praxim* penitus evertendam; ne *in nomine Domini inservias Diabolo*, & *Sanctum* cogas Religionis *nomen Rem ipsam* jugulare, fædis tuis inservire cupiditatibus, illasque quasi velo tegere. Sic *Lumen* Religionis in *praxi* fiat tantùm larva pietatis, & opera *Tua* utcunque *in specie* Religiosa, *opera Tenebrarum.*

At quid profit, si quis falsus speciem veri, si quis nefarius speciem honesti, & os populi (qui decipi solet) sibi conciliaverit ; si modo in conspectu sui & ipsius Dei abunde constiterit, quam falsa & deformis rerum facies intus habitet? Non minus latet, quam tristis hæc notitia, quam misere à se deceptus fuerit. Interea, quantum hinc patitur Veritas Christiana? Judæis semper erit scandalo, & Gentilibus stultitiæ, dum plurimi sanctitatem illam lingua tantum laudant, quam vita vituperant; & conantur potius apparere, quam esse *reverà* Christiani.

Bene agendo potius, quam *multùm loquendo* probetur Religio in *praxi*; *frequenti* potius, in *Ecclesiæ* precibus & Sacramentis, *Communione*, quam *religioso multiloquio.* Quippe *qui* religionem *inter precandum* dissimulet, *ubi non* ausus est *ille* dissimulare?

Quid

Quid non ille loquatur, vel ut cultum *noſtrum, quem oderit, ſimulatè* defendat; vel ut *Romanenſem, quem amavit, tempeſtivè & intempeſtivè* redarguat? An *à fermento Phariſæorum* quis unquam abhorreat *collocuturus tantum cum Sociis*; indulgeatque ſibi *vitium illud ad tremendam Dei Majeſtatem appropinquans?* Si *Religio Sacramenti*, & *Lumen Spirituale Chriſti quod in Te eſt*, ſint tenebræ, & Vinculum iniquitatis; quantæ ſunt Tenebræ, & quam iniquus es? At, ſi quis reclamaverit, annon *tales Tu* nôſti tenebras? Fateor; ſed ſic & novi monſtra quædam *in Natura*; &, ſperandum eſt, ut pauciora ſint *in Religione* Monſtra, quam *in Natura*. At ſæpe ſubiit animum meum admiratio, cur *Sacramentum Cœnæ*, cum *Metamorphoſi* Romanenſium renunciemus, non ſit in ſingulis *ſufficiens* Religionis Κριτήριον? *Non aliud* impoſuit *Magiſtratus, cujus* eſt, & *nos*, & *Eccleſiæ fidem* probare.

Longè efficacius eſt *Vitæ*, quam *Linguæ* de *Fide* Teſtimonium: Et Religio in *Praxi*, ſi vera ſit, *vitam* Chriſtiani Sanctiſſimæ *fidei* à *Chriſto* nobis datæ conformem, & Sanctitate ſimilem reddit; ut veritatem in *Intellectu*, ſic & *in voluntate* Bonitatem & Integritatem exigit, urgetque. Si Magiſtratus ſit, & vere Chriſtianus, pari paſſu ſingulis, æque pauperi, ac diviti jus diſtribuet; in externis Foris Judicialibus, ſicut & interno Conſcientiæ, ſolummodo *juſtum & æquum* reſpiciet, ſine diſceptatione, ſine partium Studio.

At in *Illo* Religio in *Praxi* figmentum eſt, & *umbra* religionis, *qui videtur* Pacificus, *eſtque reverà* contentioni & diſſidiis deditus: *In ſpecie* Facilis & Benignus, & in ſe moleſtus & inexorabilis: *Extrà*

bonis operibus abundans; *& intus* laudis avidus, ventoſus, & intumeſcens: Cenſorem demum agens in factioſos quoſcunque *coràm*, & *in Conſpectu populi*; Et *ſecretò* factiones fovet, ſeditionem, & diſcordias, eſtque ipſe ſeditioſorum Dux, & tanquam Primas; qui ſemper occupatus eſt male agendo, vel ſaltem cogitando, lites & rixas movendo, & (minime veritus [x] *maledictionem Dei*) *ſecretas* proximo injurias inferendo ſemper indefeſſus. Nuda obtrectatio deformis res eſt, at ſi *Religione* larvata incedat, quam avide deglutiant illam omnes? Imò innocentes *umbra* Religionis lactati decipiuntur, cum gaudio & plauſu excipiunt calumnias, & læſa Parte quamvis abſenti & ignota, fidem, quantam poſſunt, obtrectationi conciliant, & fratrem Condemnant inauditum. Ut in *Fide* ſint aliqui uſque ad hæreſin *formaliter* erronei, & *ſuo judicio* condemnati; ſic & in *Praxi* quot plures inveniantur αὐτοκατάκριτοι, qui dum *fratris* famam vulnerant, *proprias* torquent conſcientias, & ad hanc *culpam*, dicam, an *pœnam ſponte* damnantur? Audi Virum Patientia inſigniter præditum --- *An pro Deo* (vel *Religione*) *loqui debetis iniquitatem, aut pro eo loqui debetis fraudem?* Audi etiam Apoſtolum, 1 *Cor.* 13. 5. *Charitas non agit indecore*, multò minus *clam* vulnerat. *Chriſtiana* Religio ſine *Charitate* (ſine *Juſtitia* dicam) eſt Religio ſine *Chriſto*, ſine *Deo*, nam *Deus eſt Charitas* [y]. Ergo, ſi *juſta damnatio* nos terreat, *Ne faciamus mala, ut eveniant* Bona [z]. Sed ut Religio, *Sapientia quæ ſuperne eſt*, ſic cultor etiam, ſit [a] ἀνυπόκριτος, minime ſimulatus; ne Corruptio *ſi-*

x Deut. 27. 24.
y 1 Jo. 4. 16.
z Rom. 3. 8.
a S. Jac. 3. 17.

dei

dei in se optimæ in *Tua praxi* fieret pessima, & Religio *in Te*, hoc est, & in *Tuo* sermone, & operibus *Tuis*, foret sterilis & infœcunda res, merum profectò nomen, & umbra Religionis.

Discipulis suis dixit Christus, [a] *Vos estis Lux Mundi.* At *Vos, Reverendi Patres & Fratres*, estis istius Lucis *Luminaria, qui* lumine *Scientiæ*, & *Charitatis Christianæ* Fnndatoribus vestris præluxistis *Decus* & *Gloria*, & *Reformatæ nostræ Fidei Tutamen. Macti estote hoc Cœlesti Lumine Gratiæ Divinæ*, ut sic Religio in *Fide pura*, & *praxi sincera*, *miniméque ficta* indies resplendeat; ut *Zelus Charitatem* multum in aliquibus Langueſcentem *haud* extinguat; ut demum Lumen Religionis Reformatæ, *in se*, & *in Vestro* Exemplo, verissimum, *nunquam* in *aliquo Vestrûm* in umbram Religionis, in fumum, & tenebras æternas nunquam fugandas evanescat. Et *audi nos, Domine*, Te *rogamus*, Ut Sacramentum Amoris *Christi*, cujus futuri sumus *hodie* participes, fiat Vinculum amoris *nostri* reciproci, & *fraternæ dilectionis* erga invicem: Ut iis qui nos calumniati sint *ignoscere*, & *eorum Corda convertere* digneris: *Ut liberes nos ab omni cæcitate Cordis, à Superbia, Vana Gloria, & hypocrisi, ab invidia, odio, & malitia, & ab omni affectu charitate vacuo.*

Illi demum, *Qui* insidet *Throno, Patri, Spiritui Sancto*, & *Agno Jesu Christo, qui* dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris per *sanguinem suum, Deo Triuni* sit *Gloria* & *Robur* in *sæcula sæculorum.* Amen.

[a] S. Matt. 5. 14.